

ORATIO

DE

PERFECTA INSTITUTORIS SPECIE IN JESU CHRISTO CONSPICUA.

JOANNIS FREDERICI VAN OORDT J. G. FIL.

ORATIO

DE

PERFECTA INSTITUTORIS SPECIE IN JESU CHRISTO CONSPICUA,

HABITA

A. D. VIII FEBRUARII MDCCCXLII.

QUUM MAGISTRATU ACADEMICO ABIRET.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD P. H. VAN DEN HEUVELL.
MDCCCXLII.



EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

ACADEMIAE CURATORES! PROFESSORES! JUVENES! ET QUI PORRO ADESTIS CUJUSCUMQUE LOCI ET ORDINIS AUDITORES HUMANISSIMI!

Sapienter Majoribus nostris institutum esse, ut dies Academiae natalis Rectorali oratione celebretur, haud sine causa dictum audivi. Existimant enim hoc apprime convenire diebus festis Academicis, ut porrigantur eos celebrantibus dapes, non ex Apiciorum regulis, aut ad Lucullorum palatum, sed altiore sensu exquisitae, quibus nempe mentes hominum et animi possint delectari eruditorumque praesertim ingenia recreari. Vel sic tamen ad hanc Majorum prudentiam laudandam rarissime, si vel unquam pronum fore judico Academiae Rectorem munus suum depositurum et ex antiquo hoc instituto ad dicendum coactum. Scilicet tam alte sentit

instituti molestiam, ut prudentiam ejus sentiendi vix ullus locus supersit. Nec sine causa sic sentit; primum enim id ipsum, quo instituti sapientiam laudant, ejusmodi est, ut molestiae sensum acuat et effugiendi, si possit, excitet desiderium. Nimirum pauci omni aetate fuere oratores, qui vel paululum accedant ad eloquentem illum, quem animo tenere se, ut dixit Cicero, ita suis ipse orationibus ostendit. Quicumque igitur se ad hos non pertinere sibi conscius est, haud parum conturbatur, epulas parare nescius festo solemni adaequatas, nec sine causa metuens, ne convivis, exquisitas delicias exspectantibus, nauseam creënt cibi, quos apponit, vulgares, ut si pro eorum humanitate non relictam videat mensam suam, invitos tamen videat accumbentes.

Sed et alterum est, quod Rectorem die festo dicturum haud minus profecto sollicitat; difficultatem volo inveniendi aptam dicendi materiam. Magnopere differt Rectoris causa ab ejus, qui docendi munus Academicum auspicatur. Hic enim ad dicendum vocatum se sentit; scire avent auditores, quid de provincia, quam est obiturus, quid de doctrina, quam profitetur sentiat, quidque sibi velit; nec minus ipse gestit suam hac de causa mentem declarare. Sic saepius ipsa,

qua dicit, opportunitas praebet materiam dicendi. Illi vero hoc rarissime contingit, ut in ipsis, quibus dicit, rebus opportunam dicendi causam reperiat. Saepius nil est, quod ad dicendum eum impellit, nisi dira necessitas ipsi imposita. Fere sibi relictus, ex omnibus, quae menti obversantur, causis tandem unam caeteris nec meliorem nec aptiorem accipere cogitur. Taedet ipsum de argumento dicere cum die festo nil commune habente, nec placere posse autumat aliis id, quod sibi hac de causa displicuit. Vel sic tamen proxima argumenta, forsan quia nimis propinqua, saepe quaerentis oculos effugiunt. Quum enim ante hos duos annos HOEVENIUM nostrum de *institutione Academica* audiremus ita dicentem, ut Platonem audire videremur de rebus nostris latine disserentem, quis erat cui non mirum acciderit, hanc materiam, Rectoris personae temporique unam in paucis accomodatissimam, non diu ante et variis partibus fuisse tractatam, adeoque, ut aliis multis, ita et novitatis gratia audientes allicere orationem potuisse?

Id quidem non memorare non potui. Huic enim Viri Amicissimi orationi, praeter voluptatem, qua me audientem legentemque affecit, insuper et hoc debeo, quod quaerentem diuque

haerentem me in locum dicendi deduxerit non prorsus, ut spero, ineptum. Scilicet ab instistutione facilis est ad institutorem transitus, atque ipse saepe mihi proponere studui, qualem hunc esse oporteat institutioni sic adumbratae consentaneum. Quod autem mihi, ut inde proficiam, sic saepe proposui, vobis me propositurum esse ne tamen putetis A. A! Magistratum gessi mox deponendum, quo pro tempore primus agnoscebar inter pares, statim ac hinc abeam ultimum in Professorum ordine locum occupaturus. Ultima vero gloriae mox evanescentis hora magistrum agere ab animo meo quam alienissimum est. Et sane haud ita facile prudentior quisque doctorem institutoremque Academicum rite adumbrare sustineat, aut sic non aliter informatum esse, sic non aliter agere hunc oportere, ac ipse mente tenet, pronunciare ausit. Relinquunt hoc expertiores juvenilibus ingeniis, ad judicium de hisce rebus ferendum, ut sibi videntur aptissimis, ut omnes norunt maxime pronis. Me quidem quod attinet, ad institutores Academicos, a quibus discere quam quos docere malim, dicturus, non hoc mihi proposui, ut speciatim institutorem Academicum adumbrem; sed universe illius personam paucis exhibere gestio,

qui alios instituendi in se suscepit provinciam, ut quomodo in hac sua provincia ipsi versandum sit aliquatenus appareat. Neque tamen perfectam institutoris speciem, ac si ego hanc animo teneam, vobis exhibebo, ne dicendi materiam sumam dicentis viribus haud aequam; in ipsam personam eximii prae caeteris institutoris oculos nostros defigere volo, ut hanc observemus, in eaque perfectam institutoris speciem animadvertamus. Sic ea dicam, quae a Theologi persona nemo alieniora putet; nam de ipso illo agam, in quem quaecumque ad Theologiam, quam profitemur, pertinent tanquam in centrum coalescunt. Euangelium enim intuentes tanquam in speculo cernimus eximiam JESU CHRISTI praestantiam. Et ubi institutorem nobis informare velimus, hujus nobis obversatur imago, quam quo accuratius contemplamur, eo plura apparent nobis incomparabilis excellentiae documenta. Admiramur profecto verum institutorem, qualem in magistro suo pinxerunt et Plato et Xenophon, nec quidquam volumus hujus laudibus, in hunc usque diem merito celebratis, detractum; oculis tamen in hanc imaginem defixis, divinius quid animadvertimus, nec haesitanter pronunciamus: Socrate hic major atque excellentior adest! En

habetis orationis nostrae qualiscumque argumentum. Dicam *de perfecta institutoris specie in Jesu Christo conspicua.*

Est haec naturae humanae tum ratio tum praestantia, ut non subsistat in rebus, quae externis sensibus percipiuntur, sed ulterius escendere valeat ex adspectabili mundo in *τὸν νοητὸν* ibique ipsum pulcrum et bonum quaerere, cujus quaecumque pulcra aut bona sunt in hisce terris non nisi effigies constituunt et simulacra; perfectamque adeo rei speciem adpicere et tenere, non corporis sed mentis oculo, non manu sed animo. Humi repant qui humilia sectantur, adspectabilibus in hoc mundo se contineant, quibus non satis excreverunt pennae, ut sursum escendant; excellentiorum est ingeniorum expansis alis in aethereas evolare regiones, nec ullus unquam in suo genere excellens fuit aut esse potest, quin eo se transtulerit. Artificum, qui vere ita dici merentur, insidet in mente perfecta quaedam species, ad cujus similitudinem opera sua exigunt. Sic Cicero summum descri-

bens oratorem, talem informabat, qualis fortasse nemo fuit, non enim quaerebat, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil esse possit praestantius, rei formam et speciem, quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Sic in perfecto sapiente adumbrando, philosophi non aliquem contemplabantur, ad cujus similitudinem illum efformarent; sed undique colligebant, quae huc facere videbantur, eaque conjungebant, exornabant, adaugebant, atque sic perfectam, ut ipsis videbatur, sapientis speciem, non uti oculis cernitur, sed uti mente et cogitatione complectebantur, exhibebant. Atque ita quidem in aliis; sic enim fert hominum ingenium, ut non contenti iis, quae adspiciuntur, quamtumvis egregia, nil enim in suo genere tam praestans est quin praestantius cogitari possit, ideas quaerant, perfectas rei species, ipsis quae cernuntur rebus semper majores.

Vel sic tamen non unice in idearum mundo habitare homo potest. Prouti enim contemplandis animoque volvendis iis, quae reapse in rerum natura sunt, in superiorem demum rerum ordinem escendere queat, atque ex illorum notionibus ideas formare, ita has ipsas iterum ad res facti adhibere, in iisque cernere gestit. Sic

quae in mente artificum insident pulcri species, hanc operibus suis exprimere conantur. Quem animo tenebat Tullius summum oratorem, hunc ad alios, ad se orationesque suas applicabat continuo ex iisque partim illustrabat. Ad perfectam, quam sibi proponunt, sapientis speciem exigunt philosophi quotquot videant sapientes indeque eos dijudicant; ad hanc eos, quos ad sapientiam instituunt, informare gestiunt. Nec quaerit generosus ullus perfectam boni sanctique speciem tantum, ut ea quasi ingenii figmento delectetur; sed tanquam exemplar, quod intuetur continuo sibique imitandum proponit, ut aliquam saltem ejus similitudinem referat. Ex idearum regione, in quam se extulerunt homines, continuo in ipsum, qui adest, mundum descendunt, ibique quaerunt quod speciei, quam mente complectuntur, respondet, semper quid desiderantes donec id reperisse sibi videantur. Hoc juvenum inprimis est generosiorum, qui, ut parentem optimum aut institutorem egregium suspiciunt saepe tanquam ipsius sapientis et boni exemplar, sic in praestanti amico aut in lectissima virgine haud raro ideas suas conspiciunt re ipsa expressas. Quo ut videtur reperto, ut exsultant, ut *εὕρηκα* exclamant, ut incredi-

bili amore id prosequuntur, ut desideria sua expleta censent! Verbo ut dicam, ita fert hominum indigentia, ut perfectam illam speciem, quam animo tenent, reapse quaerant, et cernere gestiant, nec etiam saepissime spe sua frustrati animum despondeant, sed inventum aliquando iri firmiter teneant. Cui igitur naturae humanae indigentiae tum demum prorsus satisfactum erit, quum conjunctas ita habeant ideas cum rebus in facto positis, ut his illas cernant adaequate exspressas.

Hoc reputantibus A. A! omni demum vi et praestantia apparet Christi Euangelium, hac ratione naturae humanae eximie, atque ut vere dicam, unice accommodatum. Scilicet id quod quaeritur vix reperitur in rebus humanis. O quam saepe falluntur, qui invenisse se putant personas aut res speciei perfectae, quam sibi repraesentaverant, consentaneas; interius inspectae res quam longe ab ideis haud raro apparent remotae! Quot sunt qui frustra quaerunt semper, eoque magis quo sublimiores sunt quas mente complectuntur formae. Quo praestantior enim, quoque cultior, quoque divinior ingenio homo est, eo major est perfectio, quam quaerit, eoque difficilius inveniunda. At nunc spectate Euangelium; agit de

rebus maxime sublimibus, de ipso scilicet homine, de Deo, de illius cum Hoc conjunctione de pulcro, vero, bono, sancto, divino. Nec vulgari ratione de hisce rebus agit, sed ita ut quae in ipso appareant ac per ipsum in hominibus excitatae sint ideae, omnes quas unquam ante illud mente complexi sunt sapientissimi, cultissimi, optimi viri, sublimitate facile superent. Vel sic tamen et hae non frustra quaeruntur; adspicimus eas in ipso Jesu Christo, quantum possit, ita expressas, ut nil amplius desideremus, atque naturae indigentiaeque humanae ejusmodi Euangelio, ideas maxime sublimes in Jesu persona et vita vere conspicuas exhibente, prorsus satisfactum putemus.

Ut propius accedamus ad argumentum nostrum idque rite teneamus, ad unam tantum hujus rei partem attendamus. Cernimus in Jesu Christi persona *perfectam hominis speciem.* Hominem, ab omni parte humanam exhibentem naturam, sed omni sua perfectione conspicuam; egregiam omnium eandemque harmonicam facultatum, quibus homo praeditus est, explicationem. Quibus singulis in suo genere nonnunquam exellere videmus dotes atque virtutes, has omnes majore gradu conjunctim in Jesu

adspicimus, ut nil dominetur prorsus, nil neglectum sit aut minore vi appareat. Virtutem omnem et sapientiam nullo prorsus vitio hic videmus contaminatam, lucem sine tenebris. Sed nostrum nunc non est praeclaram hanc speciem vobis exponere. Hoc unum dicamus. De homine, de ejus natura et praestantia cogitavere omni aevo sapientes, collectis undique quae in singulis eximia apparebant adauctisque iis perfectam quandam hominis speciem sibi proposuere, mente tenentes quod in nullo unquam oculis adspexerant aut adspicere poterant; et tamen praestantius quid cogitari poterat, quam quod sic animo complectebantur. At Jesus Christus apparet in mundo. Cernunt ipsum mortalium oculi, ecce non tantum adspicitur is, qui omnia in se habet reapse conjuncta, quae hactenus cogitatione tantum sapientum existebant, sed haec tam longe superat, ut ex hoc novae praestantioresque, quam quae unquam fuerant, in hominibus oriantur humanitatis ideae. Nil sit tam pulcrum quin pulcrius cogitari possit, hic praestantia adest revera, quam cogitatione amplectebatur nemo. Octodecim dehinc saecula fluxere. Varia ratione excultum est genus humanum, ad majorem continuo perfectionem progressum; explicitae sunt

haud parum humanitatis ideae; sed splendoris sui nil amisit haec Jesu, quam in Euangelio ut in speculo adspicimus, imago. Quo longius humanitate homines progrediuntur, eo magis ad percipiendum intelligendumque hunc fiunt apti, eo magis ipsos tangit incomparabilis plane praestantia. Continuo ad hunc contemplandum revertuntur et, quo accuratius et penitius investigant, eo plura deteguntur perfectionis documenta. Praestantissimi omni aevo et optimi quique ne cogitatione quidem tantam assequi excellentiam se posse fatentur, quanta in Jesu Christo apparet. Nil desiderant amplius, invenerunt ideis respondentem, quid dico, eas excedentem longe perfectam hominis speciem. Hanc intueri avent, hanc capere, ut qualis sit hominis praestantia intelligant, ad hujus imaginem informari gestiunt, ut sic ipsi accedant ad veram hominis perfectionem.

Intelligitis A. A! quid nobis velimus de perfecta specie dicturi, quidque menti obversetur nostrae, ubi hanc in Jesu Christo conspicuam esse affirmamus. At non de *hominis* universe, sed speciatim de *institutoris* perfecta specie me dicturum esse non sine causa monetis. Hanc vobis proponere in Jesu Christo conspicuam

gestio. Nec tamen abs re esse putetis quae hucusque a me dicta sunt; non tantum ad explicanda ea, quae mente volvo, quid valent, sed sunt ea praeterea cum argumento nostro tam arcte conjuncta, ut dum non nisi in exordio versari videmur, ecce in mediam jam rem simus delati. Conspicitis jam optimum institutorem, perfectum hominem intuentes. Agitur enim de hominum institutione atque hi, auspice Deo, in hominum societate excoluntur, non nisi ab hominibus instituuntur ad humanitatem. Undenam igitur maxime pendere censeamus institutoris praestantiam? Ex multiplici quam sibi acquisivit doctrina? Profecto hanc requiri prorsus in eo, qui aliorum doctor existat in variis disciplinis quis sana mente neget? Vel sic tamen doctissimi esse possunt, qui tamen haud optimi doctores, nedum institutores aliorum sunt habendi. Anne igitur ex methodo, quae dicitur, instituendi, quam sequi eos videmus huc maxime adaptata? Quis negligendum hoc pronunciet? Imo vero in aliis instituendis majoris etiam quam ipsa doctrinae copia hoc aestimandum esse haud cunctanter affirmamus. Attamen et summum id non esse in hominibus ad humanitatem instituendis, et magnam partem ex

eo pendere quod primum requirimus, nobis est persuasum. Etenim primum et ante omnia quaerimus, *qualis* sit *homo*, quo ingenio, quo animo, quo cultu, qua humanitate. Ex hisce praecipue pendet institutoris praestantia, unde qui alios instituere velint a se instituendo incipiant. Scilicet communicare quis cum aliis nequit id, quo ipse caret, neque altius quid sperare licet ab institutore, quam quod alios informet sibi similes. Ut ipsius Jesu hic verbis utamur, non est discipulus magistro major, perfectus discipulus magistro similis erit. Quo praestantior igitur quis homo est, eo perfectior erit aliorum ad humanitatem institutor. Jesus Christus adeo, in quo summam hominis praestantiam agnoscimus, vel hac de causa hominum institutoris perfectam speciem in se conspicuam praebet, quippe qui non tantum possideat omnes, quae in optimo institutore postulantur dotes atque virtutes, sed et ad sui similitudinem, id est ad ipsum perfectionis humanae exemplar, instituat alios.

Neque quempiam dubitaturum ne vel rogaturum putamus, utrum idem ille, in quo perfectam hominis speciem admiramur, revera institutor habendus sit? Ut parum Jesu consilium

vitamque capere nobis videntur, qui omne Servatoris, dum hac in terra versabatur, negotium ad hoc unum restringunt, quod homines doceret, ita hi veram vitae Jesu rationem et vim merito assecuti dicuntur, qui instituendis hominibus hanc omnem dicatam consecratamque autumant. Neque in vocibus ludere nos existimetis A. A! Aliud enim est instituere, aliud doctrinam tradere aut docere; hoc si non immerito ad illud requiri putetis, illud tamen hoc absolvi ne quisquam dicat. Variis enim modis homines instituuntur aliaque praeter doctrinam ad institutionem referenda sunt. Jesum Christum igitur ubicumque et quibusvis rebus intuemur, conspicimus institutorem; in hoc semper intentum, huc omnem operam, huc totam vitam suam impendentem, ut erudiret, excoleret, emendaret, perficeret omnes, quibuscum versabatur. Huc non doctrina tantum sua, nec sermones tantum aut dicta pertinent, sed referenda huc non minus sunt egregia facta omnia, tota vitae ratio, omne cum hominibus commercium. Quamdiu in mundo versabatur, lux mundi erat, quae omnes collustrabat. Videte ipsum, totam quam incolebat regionem peragrantem, omnium quantum possit institutorem, neminem, ne vel malis

hominibus, ne vel inimicis exceptis, ab institutione sua arcentem, imo vero blanda voce indigentiae oppressos omnes huc invitantem. Videte ipsum in templo Judaeorum et synagogis, in montium declivitate et ad maris littora, in locis desertis et urbium plateis, in domibus, in familiis, in conviviis adeo omnes, qui ipsi aderant, excolentem, omniaque ad hos instituendos adhibentem; ut vere hominum, sine ullo discrimine, institutor appareat. Sic semina spargebat per totam Palaestinam adjacentesque regiones, laeta deinceps incrementa captura. Vel sic tamen, toti populo vivens, praeterea discipulos strictius sic dictos secum habebat haud paucos; ex hisce iterum duodecim viros eligebat, qui semper in omnibus rebus ipsum comitarentur totiusque vitae contemplatores et testes existerent. Diversissimis rebus occupatus, hisce tamen erudiendis informandisque omnem operam impendebat, dies noctesque transigebat, ad ultimum usque vitae momentum in atrocissimae mortis conspectu perseverabat. Horum praesertim est institutor habendus atque hoc tanti ipse ducebat, ut in vitae terrestris fine totum huc opus referre sibi a Patre coelesti demandatum haud dubitaverit.

Institutorem igitur videtis Jesum Christum, totius in quo versabatur populi, suorum autem maxime. Animadvertite simul, qualis quantusque fuerit institutor. Sequuntur ipsum haud raro multa hominum millia, arrectis auribus audiunt, mirantur dicentis suavitatem, stupent ad tantam vim atque gravitatem. Alliciuntur boni, perculsi adstant aut fugiunt mali. Qui caeterum humilia fere sectantur populares ad sublimiorum rerum sensum ita rapiuntur, ut ipsum sequentes, videntes, audientes, vel famis obliviscantur et sitis. Confluunt ipsum auditum ex iis multi, qui omnem videbantur institutionem adspernere, atque eo audito ad meliorem frugem redeunt. Biduo in quadam Samaritanorum urbe deget et, »non opus est testimoniis," exclamant plurimi, »audivimus ipsi et scimus, hunc esse vere mundi servatorem." Capiuntur ejus institutione praestantiores quicumque ingenio et animo, ut ab ejus consuetudine divelli se aegerrime ferant. At cur alia citemus aut hisce immoremur? Majora adsunt excellentissimae institutionis documenta; haec nobis praebeant interioris admissionis discipuli, ingenui profecto probique, nec tamen exculti aut falsis opinionibus vacui homines. Hos enim intra trium annorum spatium Jesus ita

instituit, ut apti essent, qui ipsius Christi in mundo locum occuparent, ut sua vice aliorum existerent institutores, ut divino, qui in ipsis erat spiritu, a magistro suo accepto, merito agnoscantur gentium reformatores. Profecto hi sunt Jesu perfectissimi institutoris testes, qnando coram populi corona, quando coram doctis suo genere et prudentibus viris, accerrimis Euangelii adversariis, insigni *παῤῥησίᾳ*, sapientia atque constantia loquuntur et agunt. Ipsos audimus Jesu inimicos de Jesu institutoris praestantia testimonium ferentes, »indocti," ita de Apostolis dicunt, »et e plebe hi homines sunt, sed scimus cum Jesu eos fuisse."

Uti igitur ex fructibus arborem cognoscimus et aestimamus, ita ex mirificis plane hisce effectibus ad summam institutionis Jesu Christi praestantiam merito concludimus. Nec tamen in iis subsistendum nobis est, quae omnium oculis patent, quaeque vel ipsos haud latebant, qui uti divinae Jesu praestantiae animadvertandae impares, ita a vero et bono haud parum fuere alieni. Penitius in ipsam Jesu institutionem est inquirendum, ut simul effectuum causa nobis perspecta sit, simul Jesu Christi institutoris effigies, si non in plena luce collocata aut undique

spectata, aliquatenus certe et vere oculis nostris appareat. Quaeritur adeo quibusnam sic Jesus homines allicuerit, undenam tantam in hominum animos vim exercuerit? Atque uti in ipsius praestantia veram rei causam latentem merito existimamus, sic nostris inprimis diebus, quibus ad Jesu personam, ut par est, attendunt Theologi, observarunt et exposuerunt non pauci varias, quae in ipso elucent, dicendi docendique virtutes, bene tenentes non ad doctrinam tantum suam, sed ad docendi quoque rationem esse animadvertendum, si vel quodammodo capiamus Ejus excellentiam. Mirabile dictu, quoties harum rerum intelligentiores Euangeliis legendis ut Jesum cognoscant animum applicant, toties in novas incidunt egregias plane dotes antea nondum satis observatas. Has igitur si exponere, si vel digito monstrare omnes velimus, finem haud inveniat oratio nostra. Itaque unum, hoc vero gravissimum, nobis sumamus, universam Jesu instituendi rationem observemus; in qua si non perfecta vobis institutoris species conspicua fiat A. A! hoc rei ipsi ne tribuatis, sed mihi, de re gravissima pro viribus meis tenuiter dicenti.

Non sine causa laudant Jesu in dicendo docendoque auctoritatem. Hanc mirabantur au-

dientes, discrimen inter hunc animadvertentes, qui ex intima de vero et bono persuasione sententias suas proferebat, et legisperitos, quos audire consueverant, arte quadam dialectica disputantes, suaque antiquorum doctorum auctoritate fulcientes. Nec minus nos etiamnum tangit haec dicentis gravitas, ubi illud: *Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν*, aut: »antiquis praeceptum audivistis, at ego dico" ex ejus ore audire nobis videmur. Neque tamen putemus, hanc fuisse Jesu instituendi rationem, ut auctoritate hac sua, qua non legatus tantum divinus, sed ipse Dei Filius, prae omnibus pollebat, aut doctrinae quoddam corpus cum hominibus communicaret, aut placita quaedam traderet, veritatis decreta simpliciter assumenda, praeceptave exhiberet ad vitam rite regundam, ut legis edicta observanda. In ipsa illa egregia oratione, quae a monte, quo dicta fuit, nomen habet, in qua uti audientes maxime mirabantur docentis auctoritatem, ita merito etiamnum omnes suspiciunt, ad ipsos homines appellabat, ut videant ipsi verum et intelligant. »Si tantum amicos amore prosequimini anne majus quid facitis, quam quod humiles etiam homines faciunt? At inimicos amare, hostibus benefacere, pro iis, qui vos vexant, pre-

cari, hoc liberorum est Patris coelestis, qui solem suum oriri jubet in justos et injustos et pluvias dimittit in improbos aeque ac probos. Adspicite aves coeli pabulo suo non destitutas, oculos defigite in flores campestres majore quam regio splendore vestitos; sic curat Pater coelestis, nonne vobis multo magis prospiciet? Si vos, tam deficientes amore, sciatis bona largiri liberis vestris, nonne multo magis perfectus ille Pater in coelis bona suis largietur?" Specimina pauca habetis e multis, quae adsunt, quaeque majore numero deinceps recurrunt ubicumque Jesum dicentem audimus, ut homines instituat.

Sic aditus nobis patet ad Jesu instituendi rationem percipiendam. Non erant ipsi homines vasorum instar, quibus infundenda scientia sit ut pleni evadant, nec machinis similes rectoris nutu movendis. Ipse perfectissimus homo, quaenam naturae humanae praestantia sit optime perspiciebat et hanc, si vel sordibus latentem, in aliis agnoscebat. Mentis oculum Jesus homini tribuit, quo, si bene valeat et rite dirigatur, verum cernere possit; animum agnoscit, e quo prodeunt tanquam e fonte suo hominis actiones, ut bonus homo bona, malus vero mala inde proferat ut e thesauro recondito. Est homo ut ager

foecundus, in quo ut semina injecta sunt, progeminant et in aristas eriguntur, *αὐτομάτη* enim terra fruges profert. Hunc igitur agrum arando excitare, colere, irrigare, sarrire, zizania et spinas, quibus saepius obsessus est, eradicare, ne suffocentur bonae frugis semina, sed haec, nulla re impedita excrescant. Vanarum rerum sordibus animum purgare atque ad bona quaeque convertere. Mentis oculum acuere, ab inanibus speciebus ad verum, ab humilibus ad sublimia dirigere. Verbo ut dicam, hominum ingenia excolere, ut, remotis impedimentis, egregia quaeque inde eliciantur, utque fiant homines id, quod esse possint et debeant, hoc uti demum *institutio hominum* dici meretur, ita voluit Jesus, tantaque sapientia aggressus est, ut praestantius quid ne cogitari quidem possit.

Hoc voluit Jesus, exemplum sic se praebens omnibus, qui veri nominis institutores haberi velint. Ab hoc enim longe remoti sunt non tantum ii, qui auditorum frequentia et applausu mirifice delectantur; sed vel alii etiam, qui multum profecisse se putant, si discipuli sollers magistri ingenium aut stupendam doctrinam mirati, ut in proverbio est, in ejus verba jurare, Pythagoreorum illud *αὐτός ἔφα* usurpare, atque ut aurea

quaedam dicta ejus effata colligere, memoria tenere, repetere atque cum aliis communicare didicerint. Ecce in Jesu doctorem, qualis nullus unquam fuit aut esse potest, scientia et sapientia perfectum; sunt quaecumque ejus effata revera aurea dicta, quibus praestantiora cogitari nequeunt; beatus ille, qui haec memoria tenet, beatior qui animo ea complectitur atque ad regundam suam vitam ea adhibet! Vel sic tamen praestantissimus ille, discipulos sibi colligendo hosque instituendo, non hoc sibi voluit, ut essent qui sua dicta tenerent, repeterent, cum mundo communicarent; sed ut, ipsorum ingenio excolendo, vere homines informaret, qui eodem quo ipse veritatis et amoris spiritu imbuti, ipsi per se, pro suis quique facultatibus, hunc spiritum in se explicarent suaque vice in aliis excitarent et excolerent.

Atque hoc suum consilium quam insigni et admirabili plane praestantia aggressus sit et persecutus, in ipso adspicite cum discipulis suis versante. Hos ut institueret sibi adjunxit perpetuos in omnibus rebus comites, totius vitae suae testes adesse voluit, ut non minus omnibus, quae in ipso vivente agenteque conspicerent, quam sermonibus, quos cum iis misceret, non

minus quotidiana consuetudine quam doctrina sua instituerentur. Ut enim pulcri in homine sensus non artis potissimum regulis atque praeceptis acuitur, sed conspiciendis maxime pulcri speciebus, sic ad excitandum acuendumque in hominibus veri bonique sensus et studia nil magis valere potuit quam ipsius Jesu perfectissimi continua contemplatio. Atque hac quidem vi in Apostolos non caruit Jesu persona, qui ut universe magistrum, quem intuebantur, tanquam summum perfectionis exemplar suspicere magis magisque discebant, aliisque deinceps proponebant, ita ut unum sumam, postquam precantem viderant, ecce ipsum adeunt rogantes: Domine nos precari doce. Ut autem ipsum sic interrogarent frequentes praebebat Jesus opportunitates, iisque ad ulteriorem et rerum et ingeniorum explicationem utebatur semper. Sed ita quoque interrogando sciscitandoque ipse ex eorum mentibus animisque eliciebat, quae inerant. Sic in hoc ipso quod citavimus exemplo, ubi ut precari docerentur rogaverant discipuli, quid amicum amico vel media nocte opem imploranti, quid patrem liberis suis cibos expetentibus facturum censeant, sciscitat ex ipsis, et ex ipsorum sententia proponit, ut sic intelligant ipsi, quid

a Patre coelesti exspectandum sit, quantaque fiducia hic precibus sit adeundus. Spectate ultimam, quam cum suis transegit noctem, ecce ipse surgit de coena, cui cum suis accumbebat, effusa dein in pelvim aqua, suorum pedes lavare incipit. Quod cum fecisset, ipse intelligitisne dicit quid vobis fecerim, ipsos sic excitans, ut rei causam attendant, quam nondum scire sed brevi intellecturum esse Petrum dixerat. Sic saepius ad ipsos appellabat, ipsorum ingenium excitans judiciumque acuens, in variis rebus, imo et gravissimis, quarum scientia summi iis erat momenti. Itaque vel hoc ipsum, se esse verum mundi servatorem, non tanquam placitum a quo incipiendum erat iiscum communicavit, sed et esse servatorem se, et qualis sit tota sua vita ostendit, et tunc demum: quid homines de me dicunt, sciscitat, cui cum respondissent, et quemnam ipsi me existimatis, rogat; tum sui, Petro omnium loco dicente, tu Christus es idemque Dei filius. Tantam enim vim habuit in ipsorum animos Jesu excellentia, ut non potuerint non Ipsum Messiam habere, qui tamen opinionibus, quas de hoc antea foverant, tam parum respondebat.

Haec est illa interrogandi facultas, ad expli-

canda hominum ingenia indeque quae insunt elicienda tam eximie accommodata. Hac Socrates eminuit, exercens sic vere *μαιευτικὴν* illam, quam profitebatur, princeps in arte, adeo ut ex ejus nomine ipsa haec instituendi methodus dicatur. Neque tamen hac tantum, sed multiplici ratione hominum excoli ingenia possunt. Ut interrogando maxime Socrates, sic indicando, comparando, narrando, alii aliter excitant, eliciunt, promoventque vim insitam. Pro sua enim quisque facultate, alias alii dotes habent adhibentque institutores suo in genere eximii. At harum nullam desiderari in Jesu Christo, eundemque in singulis excelluisse agnoscunt facile qui ad eum accurate attendunt. Profecto dici vix potest, quanta ubertate quantaque varietate conspicua sit Jesu institutio, qui undique ejus argumentum petebat, in tota rerum, in hominis praesertim natura ea quasi digito monstrans, quae ut antea oculos fugerent, semel indicata omnibus essent perspicua; in hominum studia agendique rationem, eaque quae accidebant, suorum defigens attentionem, comparando etiam iis utens ut sublimiora intelligerentur; cum antiquorum effatis paroemia in vulgus nota, cum veteris temporis historia experientiam hominum ipsam ad exco-

lenda ingenia adhibens. Exempla historica e vita communi apud Jesum frequentia excipiunt fictae narrationes ad excolendum aptissimae. Cogitatis omnes parabolas illas, quae Jesu instituenti semper praesto erant, ut ipse sit ille paterfamilias de quo dicit, qui e thesauro suo quem inexhaustum habet, et nova et vetera depromit. Miramini nativos in omnibus colores et vividam pingendi rationem. Hac alliciebant omnes, ut lubenter audirentur, sed simul attentos homines reddebant ad subliniora, sic tanquam in tabula picta, oculis exhibita. Sic partim exercitabantur hominum ingenia et ad diligentiorem perquisitionem incitabantur, ut discipuli, qui saepius magistrum adibant ulteriorem explicationem aventes; magnam vero partem subliniorum rerum sensu eximie tangebantur, aut intelligebant suam rem agi. Non quaeritis exempla, ultro succurrunt, aut si e pluribus unum velitis, Samaritani benigni egregiam narrationem attendite, et videte, legisperitum, qui ansam ei praebuerat, eo coactum, ut rubore suffusus ipse quaestioni respondeat, quam probum se declaraturus proposuerat.

At non verbis tantum, sed et rebus utebatur Jesus tanquam symbolis in instituendo. Spectate ipsum de coena discedentem, suorum pedes la-

vantem, ut servum ipsis ministrantem, anne unquam vel excellentissima dicta tantam potuerint in discipulorum animos vim et efficacitatem habere? Sciscitant discipuli, quisnam primus sit in regno coelesti? Non statim respondet Jesus, sed puerulum arcessit, quem cum dimisso vultu in medio stantem conspexere omnes, tum Jesus: »nisi conversi fueritis, pueris similes redditi, non patet vobis aditus in regnum coeleste. Qui igitur se submiserit ut puer hicce in regno coelesti primus erit."

Nec tamen de varietate, qua conspicua est Jesu institutio, dicere possumus, quin hanc etiam observemus in diversis hominibus, pro diverso quo erant ingenio instituendis. Quis enim magnam ingeniorum in hominibus varietatem inficias eat, nec intelligat, hunc demum optimum institutorem esse, qui huc accommodat suam instituendi rationem. Id autem, quod haud ita facile esse intelligit quisque, perfectissimo modo in Jesu animadvertimus. Neque tantum hoc volumus, ut aliter in Judaeorum proceribus, aliter in populo, aliter in discipulis, aliter in rudibus, aliter in cultioribus, aliter in ingenuis probisque, aliter in malis veritati refragantibus instituendis versatus fuerit. Ad ipsos interioris

admissionis dissipulos, ad Apostolos attendimus. Hos ut omnes secum et inter se Jesus conjunxit, summa enim est societatum in excolendis hominibus vis; utque omnes conjunctim ad gravissimum, quod obeundum ipsis erat, munus instituit, sapienter ad ingenia ipsorum se accomodans, pedetentim a minoribus ad majora escendens, quemadmodum res capere ferreque posse viderentur, ita tamen non omnes eodem modo instituere aggressus est. Nam alia in Petrum audaciorem illum, alia in Thomam tardiorem, alia in Johannem animo fervidiorem usus est ratione. Unitatem scilicet spectabat suorum, sed in ipsa varietate conspicuam; neque hoc voluit ut iidem prorsus essent omnes, sed ut singuli, pro suo quisque ingenio, perficerentur atque adeo fierent quod esse possint et debeant. Et hic quidem animadvertite A. A! incomparabile prorsus institutoris ingenium. Uti varii erant Jesu discipuli, ita non eodem loco omnes ab ipso habiti. E multis duodecim quidem electi erant, ut quotidie cum ipso versarentur, ex duodecim hisce tres prae caeteris Jesu in omnibus rebus socii erant, unus Johannes erat dilectus inter dilectos; et vel sic tamen, uno isto excepto, qui posteris exemplo est, ne perfectam quidem institutionem servare

hominem posse, qui servari nolit; omnes et magistrum diligunt et amore se invicem prosequuntur.

Scilicet eximia Jesu institutio omnes, qui institui volebant, sibi devinciebat. Est omnis verae sapientiae principium et fons aureum illud *nosce te ipse;* huc quoque Jesus suorum maxime institutionem referebat, ut ipsi se noscerent simulque sentirent, ita secum agere Jesum, uti maxime ipsis erat accommodatum. Ecce sublime ipsis proposuit, cui destinati erant, consilium, »vos estis lux mundi, vos estis sal terrae," ut sic quid esse debeant sentiant atque avidi sint institutionis. Detegit ipse latentes, quas jam acquisivere vires, atque emittendo ut Euangelium annuncient ipsi, harum periculum faciendi praebet opportunitatem. Eliciendo ex eorum animis quod intus habebant egregium, ubi cum ipsum desererent plurimi, nonne et vos abire vultis? rogat; collandando etiam, sed ita, ut Deo maxime laudes tribuendas esse sentiant, eos erigebat et excitabat continuo. Simul ita vim insitam promovens, modestiam alebat et sensum ejus quod desiderabatur etiamnum acuebat. Revertuntur qui emissi erant, gaudio pleni exclamant: vel ipsa daemonia nobis fuere tua auctoritate subjecta: »Ne de hoc" ait, »potius

de eo laetamini, quod nomina vestra in coelis sint consignata," a splendentibus adeo ad vera bona, ad coelestia ipsorum animos convertens. »Quid nobis," sic alia opportunitate Apostoli, »quid nobis omnia in tuam causam impendentibus continget?" tum Jesus quanta sint fidelibus suis sectatoribus exspectanda vividissimis coloribus pingit, at simul »multi, qui primi fuere," ait, »ultimi erunt, atque ex ultimis primi," in utroque ad omnem pellendam superbiam accommodatissime agens. Ecce Petrus, jam multum profecisse se putans, quoties, inquit, illatam mihi injuriam ignoscere oportet, ad septiesne? Non dico tibi, sic respondit Jesus, ad septies sed ad septuagies septies; pudorem sic excitans in eo qui jam perfectionem quamdam se attigisse sibi videbatur. Profecto pudoris concitandi mira quaedam vis in Jesu conspicitur. Indignati discipuli de Samaritanis Jesum hospitio excipere negantibus, ignem de coelo in hos volunt delapsum, et »nescitis cujusnam spiritus estis" Dominus ait ad eos conversus, quo ipsi sentiant quam longe absint ab indole ejus, qui non perditurus sed servaturus homines venit. Alia opportunitate simpliciter interrogat domum ingressus, quanam de re in via ipsis sermo fuisset. Conticuere, quia

disputaverant de eo, quis eorum maximus esset; sic simplici interrogatione pudore afficiebantur coram domino ab omni prava ambitione alieno. Hisce igitur aliisque idem, qui mentis oculum acuebat ut verum videat, sordibus purgabat animum ut ad bonum conversus sit. Hoc curae ipsi cordique; huc verba et facta, huc tota Jesu vita et consuetudo sic accommodata, tamque efficacia fuere, ut ultima vitae nocte caris hisce discipulis dicere potuerit: »vos puri jam estis propter meam institutionem."

Sic igitur uti hominum vulgus, terrestres unice voluptates appetens, repulit saepius a se, effecitque, ut irascerentur quicumque vanis speciebus delectati, sordium amantes, ab his purgari se, illas eripi sibi aegre ferebant, ita in generosiorum verum bonumque appetentium animis incredibiles suscitavit amores. Sane si ex optimorum discipulorum amore haud parum institutoris excellentia aestimetur, quantam Jesu esse dicamus? Nam dici vix potest quanto magistrum amore prosequebantur Apostoli. Omnia relinquunt, ut ipsum sequantur. Nil tam carum habent, quin ipsi id postponant. Omnes omnino caritates hic unus ipsis complectitur. Cum hoc esse semper haec una vera ipsis beatitas, ab

hoc divelli summa miseria. Abeamus et nos ut cum ipso moriamur, si vel moriendum nobis sit, a te non discedemus, sic Apostolos animum suum et amorem patefacientes audimus. Atque hoc ipso amore veri bonique studio flagrabant, nam Jesum amare quid aliud est quam veritati virtutique studere! Harum enim ipse perfecta species est, cujus adspectu ita incenduntur animi, ut contemplanda colendaque ea satiari non possint. Sic amari studuit Jesus, ut non externae formae quantumvis amabili adhaereant, non corporea ipsius praesentia teneantur, sed suspiciant in ipso verum, bonum, divinum, idque, si vel ejus praesentia orbati, intensissimo prosequantur amore. Huc suos instituit, ita quidem, ut hi deinceps veritati virtutique vixerint toti, imo pro hisce dirissima quaeque pati, ipsam adeo mortem subire haud dubitaverint.

Nec mirum profecto. Si enim amor vicissim amorem parit, non potuit non Jesus in suis hunc excitare. Erat enim ipse amore plenus, erat amor vis ipsi, ut ita dicam vitalis, e qua uti tota vita ita et omnis ejus institutio processit. Intenso ferebatur in suos amore, quo in iis excolendis, purgandis, emendandis, perficiendis, sibi conjungendis, sui similibus reddendis quies-

ceret numquam. Est vero ipsa Jesu institutio cum incredibili quadam caritatis significatione conjuncta. Redeunt ab ipso emissi de operis fructibus gaudentes, ecce ipsum conspiciunt ineffabili quadam et intima animi voluptate perfusum, audiunt Deo gratias agentem, quod talium rerum notitia ipsos imbuerit. Quid sensisse putamus Jesu discipulos, quum magistrum suum, quem quaerere nunciant matrem fratresque, oculis caritate plenis in ipsos defixis, dicentem audirent: ecce matrem meam et fratres meos! Sic divinus ille ex amore in suos non se tantum ad hos dimittebat, quod ut requiritur saepius, ita tamen vulgarium quoque est institutorum, sed quod longe majus est, erigere ad sese gestiebat; id quod ipse dein egregie enunciat: non ministros ait vos voco sed amicos, nam ut amicis amicus totum suum animum aperit ita quaecumque ipse accepi vobiscum communicavi. At plena sunt Euangelia eorum, quibus Jesus intensissimum quo in suos fertur amorem significavit. Hunc sensit expressitque Johannes, ultimas, quas cum suis Jesus vixit, horas descripturus, »quemadmodum" ait »suos per totum illud tempus, quod in terris commorabatur dilexerat Jesus, ita ad finem usque in hoc perseveravit amore." Et vere quidem hic

dixit. In ipso vitae fine amoris, quo Jesus suos complectitur, summum fastigium apparuit. Quis etiamnum legere possit ultimos illos, quos cum amicis miscuit sermones, quis audire queat preces illas, quibus pro suis adit Patrem coelestem, et non sentire summam in Jesu atque incomparabilem prorsus amoris vim. Quis eum agentem videat, quin ipsum amorem hic agentem conspiciat. Pro iis equidem me consecro ut ipsi sint in veritate consecrati, sic dicere ille potuit, nam uti totam vitam ipsis instituendis impendit, ita hanc in causam mori non dubitavit, uti bonus pastor pro ovibus vitam ipse suam periculo objiciens, uti amantissimus amicus mortem pro amicis oppetens. Profecto major non cogitari potest amoris gradus, quam sic in Jesu conspicitur. Siquidem igitur omnis institutio ex amore sit repetenda, siquidem hoc demum tanquam sole foecundentur hominum animi, siquidem eo magis quis in aliis instituendis proficiat quo major in ipso adsit amoris vis, in hoc uno, qui totus in amore, qui ipse amor est, conspicua nobis fit perfecta institutoris species.

Quorsum vero tendat oratio nostra? Adspicimus sublimem imaginem, ideam illam, non in-

genii figmentum, sed reapse in sublimi persona conspicuam. Intueamur autem, ut ejus capiamur amore ad ejusque imitationem incitemur. Ad institutionem igitur Academicam id referendum esse putemus? Sane nil ab hac magis alienum esse potest iis, qui Academias nostras officinas esse putant, in quibus Jureconsulti, Medici, Theologi aliique ut fabri artem discant. At aliter videbitur iis, qui institutionem Academicam cogitant, qualem nobis pinxit, a quo dicendi initium fecimus, HOEVENIUS noster; iis inquam, qui Academias instituta habent, in quibus formantur homines vere humani, hoc inprimis quaerentes ut prodeant inde eruditi omnino in vario scientiarum genere viri, sed iidem ingenii animique cultu commendabiles, qui sic aliis praeluceant, aliis vita quoque sua et exemplo duces existant atque adeo vere patriae prosint atque humanitati. Sic sentientibus nobis non frustra monstratur perfecta illa institutoris species, qua hominum ingenia excolere ad humanitatem eos formare, qua inprimis amandi disciplinam, unde omnis institutio procedit, discamus. Disputatum est nostris inprimis diebus, quatenus ad omnem institutionem religionis christianae doctrina sit referenda; varii varie sententiam suam pronun-

ciarunt. Quidquid vero statuendum sit, hoc certissimum censeo, omnem institutionem, Academicam quoque, eo praestantiorem fore, quo magis in ea dominetur, in institutoribus adeo vigeat Spiritus Christi.

Pauca sunt de iis, quae Academiae, me Rectore, acciderunt, dicenda. Ut enim haec mihi contingit felicitas, quod nulli e Curatorum aut Professorum numero, magistratus mei anno morte nobis erepto, sit parentandum, ita omnia placida fuerunt et tranquilla. Unum excipio diem, concitationis plenum, nec tamen tristem illum aut pericolosum, sed laetum hilaremque. Regem intelligitis Augustissimum moenibus hujus urbis exceptum. Festus erat dies incolis omnibus, Academiae autem non minime. Laetari videbantur ipsa aedificia, frondibus variegatisque ornamentis vestita, et ad vesperam lucernis splendentia, in quibus et nostrum alii quo sint pulcri sensu apparuit. Academiae cives, partim equis vecti, eleganti vexillo, uxorum filiarumque nostrarum dono, ornati, ut praetoria cohors, regem intrantem urbem et visitantem ubicunque

concomitari, partim decenti habitu singularumque facultatum coloribus distincti urbem egredi, regem excipere et cum multis aliis ad curiam ducere. Ibi et Professoribus Regem adire et salutare licuit, qui postea, Amplissimis Curatoribus exceptus, Senaculum intrat, summa nos humanitate alloquitur. Professorum effigies circumspiciens PALMII nostri effigiem intuetur. In observatorium escendit, pleno die astra contemplaturus (*); hortum dein botanicum attente lustrat; Musaeum antiquarium et numismaticum visitat, ut dein alia ad nos non pertinentia. Lautis excipitur a magistratu urbano epulis, quibus pro vobis omnibus, Rectori adesse licuit.

(*) Lubet hic ea quae acciderunt paulo enucleatius exponere, ne lectores, quod Auditorum nonnullorum fuisse repperi, irrisorem quodammodo suspicentur in simplici narratore aut facetum quoddam dictum habeant rem in facto positam. Scilicet Regem e Senaculo abiturum Rector invitabat ad visendum observatorium. Tum Ille subridens, astrane pleno die contemplaturus ait (pour voir les etoiles en plein jour). Rerum astronomicarum non nimis gnarus rector, si non astra contemplanda sint, ipsum observatorium, instrumenta astronomica, omnemque suppelectilem Regis quoque munificentia auctam, non prorsus indigna videri quae a Rege conspiciantur, respondet, idque Astronomiae Professori gratissimum fore affirmat. Humanissime cedens invitationi Rex a Clarissimo KAISER excipitur et post monstrata nonnulla ad rem Astronomicam pertinentia, rogatur, ut tubum opticum inspicere velit ita dispositum, ut medio nunc die distincte satis stella quaedam conspici possit; quod faciens, sic fieri revera id, de quo jocose dixerat, ipse Rex Augustissimus significat.

Advertante jam nocte urbem relinquit. Sic vidimus regem, singularem ejus comitatem laudantes, ac laeta omnia etiam Academiae augurantes, in quam quo animo sit ostendit, inter alios quatuor e Professoribus ordini equestri Leonis Belgici adscribendis, quibus viris, de literis ac Patria bene meritis, hoc regium de ipsis testimonium gratulamur.

Vos adspicientes, perillustres hujus Academiae Curatores! grato animi sensu perfundimur, salvos beneque valentes cum intueamur omnes, in hisce senes etiam, nec tamen seniles, sed vegeta senectute gaudentes, et suum vigorem in nostrum emolumentum conferre paratos. Tibi vero Ampl. LUZAC! seu potius nobis gratulamur, quod ex Regis auctoritate hisce accessisti. Nobis gratulamur Curatorem, nulla sit invidia dicti, inter nos habitantem, qui stationem suam Leidensem honorificentissimo muneri ipsi oblato praeferre haud dubitavit. De te Curatore non potest non bona quaeque augurari Pallas nostra. Ex ipso nomine tuo omen accipit, est enim hoc cum rebus nostris arcta necessitudine junctum. LUZACII patrui tui in rem literariam nostramque Academiam merita nondum oblivioni sunt data, et quis

LUDOVICUM CASPARUM te possit appellare, quin cogitet hujus universitatis orbisque literati decus illustre VALCKENARIUM illum, avum tuum, e cujus quis sanguine natus, cujus quis nomine dictus esse possit et non reipublicae literatae amore flagrare? Non est igitur, quod nos nostraque negotia tibi commendemus; certo speramus, fore ut non tantum rebus nostris curando sis prospecturus, sed etiam magnam, qua merito polles in patria nostra, auctoritatem in Academiae nostrae et universe in Literarum emolumentum adhibiturus sis semper!

Professores Collegas conjunctissimos gaudeo salvos esse omnes, in iis ASSENIUM, gravi hoc anno morbo correptum, ita convalescentem ut ex votis suis instituendis iterum juvenibus nostris vacare possit. Corpore ut prorsus vigeat vir mente et animo vigens optant omnes boni. Sic te omni modo vigentem adspicimus Cl. MACQUELYN! quem nemo septuagenarium dixerit nisi qui computando a nativitatis tuae anno id comperuerit. Te igitur scimus in arte tua docenda futurisque medicis formandis pergere mallentem; quam otio uti tibi competenti, vel, ut constitutionibus Academicis convenienter dicam, hac ipsa aetate jam

concesso. Vel sic tamen nostri est et otium hoc cum magna dignitate conjunctum gratulari tibi et praesertim vitam tam bene huc usque peractam. Hanc vero vitam cum viribus diu tibi Deus conservet.

De musaeis caeterisque hujusmodi scientiarum quae hic adsunt praesidiis pauca. Aucta est Bibliotheca cum emptis libris tum dono datis sive ab auctoribus, sive ab Academiis societatibusque Literariis. Quod majus est non reconditum habemus doctrinae thesaurum sed patentem omnibus, usibus inservientem non civium tantum nostrorum sed aliorum etiam, ne exteris quidem exceptis, id quod magnam partem, me etiam non monente, Bibliothecae praefecti GEELII nostri diligentiae prudentiae atque humanitati adscribitis. Collectio MSS. Orientalium in mille sexcentos numeros crevit, operum maxime Arabicorum triginta et unius accessione, quae magnam partem e bibliotheca Palmiana coemta sunt. Horto Botanico insigne augmentum et ornamentum accessit, instaurato spatiosius caldario, quo exoticae plantae perfectioris culturae, quasi in solo suo, asservari possint et laete crescere. Numismatum musaeum variis nummis cum coemtis tum

dono datis locupletatum est, ut e catalogo pateat Musaei praefecti annalibus Academiae inserenda. Uti caeteris porro nostris institutis parum quidem augmenti, nihil vero detrimenti hoc anno accidit, omniaque Praefectorum cura usibus suis bene inservierunt, ita idem de Musaeo anatomico, omnimodo curante SANDIFORTIO, dicendum est. Huic autem singulare quoddam donum accessit legatum Academiae nostro a peritissimo antea Amstelaedamensi Chirurgo DEMMELTRAADT; effigies scilicet ad vivum et haud mediocriter picta fabri cujusdam ferrarii Amstelaedamensis medio fere saec. 17°, dextra manu cultrum sinistra calculum tenentis. Eo enim audaciae vir hicce processit, ut postquam jam bis lithotomiam subierat, vehementissimis iterum doloribus cruciatus, cultro hunc in finem parato, nemine praeter puerum quemdam praesente, calculo vesicae urinariae ponderis quatuor unciarum ipse sese liberaverit, eo quidem successu ut poemate quodam, allusione facta ad viri nomen (vocabatur enim *Jan de Dood*), dicatur ipsa mors sibi vitam reddidisse. Cum effigie ipsa, ut ita dicam, corpora delicti, calculus scilicet argenteis unciis inclusus et culter operationi adhibitus ad nos migrarunt, ut sic intueri possimus audaciae

exemplum, admirationi potius ut puto quam imitationi propositum, nam et non omnes audaces fortuna juvat, et Chirurgi sua sibi relinquenda esse merito postulant.

De institutis Academicis diximus. At quaenam fuerit me Rectore, Universitatis nostrae conditio, si mihi exponendum sit, vos inprimis cogitandos esse censeo Academiae cives, e quorum non tam frequentia, etsi hanc non nihili ducimus, quam studiorum et vitae ratione haud parum pendet decus nostrum. De hisce autem juvenibus referre gratum mihi officium est. Lugemus tres bonae spei juvenes morte ut nobis videtur praematura nobis ereptos. Non desunt quoque prorsus, in quibus major desideratur pulcri veri bonique amor, neque omnium est vitae ratio civibus Academicis omnimodo consentanea. Omen autem a Clarissimo praecessore acceptum me non fefellit. Repeto quod ipse dixit, et mihi cives Academici facilem reddiderunt imo jucundum magistratum. Experti sunt urbis nostrae cives, quanto sit juventus nostra in musis et gratiis colendis ardore, cum varia opportunitate, tum maxime concentu illo musico in aede Euangelico-Lutheranis sacra, qui ut multis insignem volup-

tatem praebuit, ita ut par optimis harum rerum in patria nostra exemplis, a rei musicae peritis summo applausu exceptus est. Experti sunt cum hisce juvenum nostrorum magnam humanitatem viri olim hujus Academiae cives, ad celebrandam militiae Patriae causa exactae memoriam huc reduces. Experti sunt saepius et hisce ipsis diebus, qui in hac urbe haud pauci sunt, pauperes. Et vero qui sic Musarum cultum cum humanitate conjunxerunt eosdem a severioribus disciplinis colendis haud alienos fuisse, multosque his gnaviter incubuisse, testantur industriae specimina, quae varia adsunt. Ex hisce testibus nobis hic adest certamen Literarium, in quo ut non multos, egregios tamen videmus victores, omnes hujus Academiae alumnos. Quibus igitur ut praemia rite distribuam recitet Vir Clarissimus, qui hoc anno Senatus Acta curat, singularum facultatum judicia.

Accipe igitur praemium Praestantissime DE VRIES! qui uti Academiae nostrae laudes paucos ante menses inter Groninganos tuitus es, ita nunc nostris victor es habitus, bino igitur praemio intra tam breve temporis spatium ornatus. Quod

majus est idem, qui de Graeco historico illic commentatus es, hic de comoedia Belgica egisti, sic antiquas literas cum recentioribus, historiam cum arte tali studio complectens, quale laude et praemio dignum censuere judices in diversissimo literarum genere expertissimi. Perge sic, nil rei literariae a te alienum putans. Hoc modo Patris tui Viri venerabilis et eruditi gaudium, nostrae Academiae decus, Literarum in Patria nostra ornamentum et emolumentum in dies magis magisque existas!

Volupe mihi est et tibi praemium porrigere Ornatissime BURGER! Quod aliis non denegatum velim, hoc Roterodami nostri natis inprimis proprium est, nempe singulari quodam studio ferri in patriam civitatem et gaudere de omni, quod praeclarum inde proveniat. At quis praeterea te non libenter ornet, qui ipse tuam eruditionem tanta modestia ornas? Tu etiam pergas uti incepisti; literis porro incumbas, Philosophiae praesertim, quae in Patria nostra nimis eheu! neglecta, sic tua quoque opera rite colatur floreatque.

Audivisti honorificam Facultatis juridicae de commentatione tua sententiam Praestantissime

DE JONGE! Rectori nil superest, quam tradere praemium, quod tibi ex meritis decreverunt Antecessores Clarissimi. Tu laborem non detractas, qui nimium quam non satis facere maluisti. Breviter nec tamen tenuiter scribere, non omnium est, magnam hoc requirit exercitationem. Diligentiam in juvenibus primam virtutem judico. Hanc adhibuisti, ut audivimus, summam. Adhibe quoque in posterum, ut sic gentis tuae nomen, Patris, Patruorumque, Virorum de Literis et Patria optime meritorum, opera clarum digne tuearis.

Sic peracta sunt omnia. Deo, qui mihi, qui Academiae hoc anno nunc exacto benignissime affuit, laus sit et gloria! Hujusque numine Successori meo insequenti anno, Universitati nostrae, Literis, Patriae quam diutissime omnia fausta sunto!

DIXI.













